



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CXXIX. Differentia 20. Postliminio reversis iure civili datur rescissorta intra
quadriennium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

CXXIX.

DIFFERENTIA 10.

Postliminio reversis iure civili datur rescissoria intra quadriennium, Inst. de act. on. §. Rursum, l. fin. C. de integ. restit. secundum Canones vero non datur, quia eo tempore non currit praescriptio, c. Prima actio-
ne 16. q. 3. Bartol. 21.

I. Postliminium auctore Paulo l. C. est jus amissae rei recuperandae ab extraneo, & in pristinum statum restituenda, inter nos, & liberos populos constitutum, l. Postliminium, ff. de captiv. & postlim. reversis, dictum a limine & post. Unde cum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea rediit, postliminio revertum dicimus. Nam limina sicut in domo finem quandam faciunt, sic & Imperii finem esse limen veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam, & terminus, & inde postliminium, quia ad idem limen, quod amiserat, revertebatur. De illis ergo, qui sic ex captivitate domum redierunt, & bonis suis interim privati sunt, remedium constitutum est in §. Rursum citato, pro cuius intellectu hunc casum ponamus.

II. Titius a Cajo rem meam mobilem bona fide emit, adeoque contra me abentem triennio possidet, & praescribit. Amisso igitur rei meae dominio postreditum non possum vindicare mihi. Imploro propterea iudicis officium, ut rescissam usucapione restituatur in integrum; restitutus experior actione re-

scissoria contra Titium praesentem, quam peto & vendico rem meam, a Titio usurpatam, ac si usu capta non esset. Idem fiet in re immobili, si praedicto modo usurpata fuerit. Nynsing. l. 4. Inst. §. Rursum, de act. Quod Canones attinet, in c. Prima act. postliminio reversis omnia reddi jubentur, addita causa, quia non est obijcienda praescriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis. Adde, quod non valenti agere non currit praescriptio, l. 1. §. Ne autem, C. de annali praescript. qua ex Ital. & contract. toll. l. 1. ff. de divers. & tempor. praescript. Andr. G. ult. l. 1. obs. 140. n. 6. & l. 2. observ. 3. Schneidewin. in §. cit. Rursum.

Praedicti remedii necessitatem c. cit. Prima actio, tollit, ubi ex Concl. Hispanensi, cui interfuit, Isidorus tradit, spoliatis belli tempore non obesse praescriptionis titulum, quia, ubi hostilitatis metus est, nemo praescribit.

V. Gloss. Less. c. 6. D. 16. v.

49. Bayh. in c. Ex transmissa, de praescript.

* * *

S 3

TITV-